

dum passionis cuiusdam transeuntis, juxta analogiam luminis Prophetia.

XLV. Sed ex adverso negant, Paulum in hac vita vidisse divinam essentiam, Molina P. I. C. II art XI. Disp. II. & Bocetus in Theol. Schol. P. III. Tr. I. Cap. IX. C. VII. n. V. p. 55. qui inter alia & illud urget, quod *raptus ille contigerit*, antequam Paulus scriberet epistolam ( priorem ) ad Timotheum & antequam Johannes scriberet suum Evangelium: Et tamen uterque scribat, nullum hominum vidisse unquam Deum. Ergo, addit, signum est, Paulum in suo raptu non vidisse Deum: alioqui debuisse se ipsum excipere ab illa generali sententia: *Quem nullus hominum vidi*t. Et post Paulo: Paulus audivit verba arcana, non per visionem beatificam sed per singulari rem revelationem, ut patet ex illo II. Cor. XII. vers. 7. *Nemaginitudo revelationum extollat me*.

XLVI. Et profecto manifestum est, raptum illum, seu id, quod in raptu illo ei contigit, a Paulo referri ad ὄπτασίας ἡ αποκαλύψεις Κυρίου, visiones & revelationes Domini, l. c. v. i. tanquam quod ὑπερβολὴν τῶν αποκαλύψεων, excellentiam revelationum importet. Quod autem Paulus Deum sive essentiam Dei in se, & citra verbum tam internum, quam externum, immediate aut intuendo cognoverit, nihil extat, c. Cæterum cum ipse Paulus i. Cor. XIII, 12. generaliter de se & aliis pronunciet: *Cernimus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: denegans sibi & aliis visionem intuitivam Dei in hac vita, atque ad futuram vitam differens: hoc autem loco, II. Cor. XII. dum ὄπτασίαν illam, visionem aut revelationem insignem, recenset, simul indicet, eam contigisse sibi jam ante annos quatuordecim; tanto autem temporis intervallo non differant Epistolæ prioris ac posterioris scriptio atque alegatio; sane fatendum erit, excellentem istam revelationem intra genus visionis per speculum in ænigmate, quæ visioni de facie ad faciem contradistinguitur, substituisse, neque adeo intuitivam Dei cognitionem importare.

XLVII. Quod si Apostolis accensere placeat virum Apostolicum, Ecclesiæ primitivæ Diaconum & Protomartyrem,

E

Stepha-